

Nugas illas, quas aliqui egerunt, quasi Machiauellus sacrificulo, vnguenta ex sacrorum consuetudine offerenti, moriturus dixerit: *Ocreas quidem vngendas iter facturo*; atque alii, *Malle se magnorum virorum in infernis, quam fraterculorum in coelo consuetudinem*: siue plane falsas putabis & mendaces, siue certe vanis rumoribus auctas & deformatas, siue ita dictas, vt vel superstitioni soli, meliora doctus a Sauonarola, illuserit, vel licenter dixerit magis, quam ex animo. Si tamen adhuc concoquere illam iocandi licentiam, quantumuis vanam & sine dubio falsam, non potes, illud, quod non fatis pium videtur dictum, alio rependam sane religioso. Quo enim facilius intellegas, quam vere Machiauellus Deum fandi atque nefandi memorem crediderit, pioque coluerit metu, legas velim tempestatem ab eo descriptam, *Florentinae historiae libro VI. ad annum a C. N. MCCCCLVI, pag. num. 236. 237.* eam autem hoc finit epiphonemate: *Volle senza dubbio Dio più tosto minacciare che castigare la Toscana; perche se tanta tempesta fuisse intrata in vna città fra le case e gli habitatori assai & spessi, come la entrò fra querce & arbori, e case poche e rare, senza dubbio faceua quella rovina e flagello, che si può con la mente conietturar maggiore. Ma Dio volle per all' hora che bastasse questo poco d' effempio a rinfrescar fra gli huomini la memoria della potenza sua.* Vix potuit religiosus, si inter ipsa sacra dictum fuisset. Legas item Sermonum ad Liuium libro I. Caput X. principio, & cap. XI. vbi tradit vix fieri posse, vt non statim corruat ciuitas, quam non contineat summi numinis metus & religio. Ex his igitur omnibus ita apud animum constitues, quicumque haec legis aequo iudicio, non talem esse Machiauellum, qualis vulgo putatur. At qui vir tandem sit, si secundum ea, quae diximus, planissime, atque ad vnguem, quod aiunt, nosse velis, scripta eius, praesertim de republica, & historiarum libros, consules: e quibus nos praeterea pauca quaedam, ad constituendam eius sectam, tercio libro, in medium adducemus.

FINIS LIBRI SECVNDI

IOH.

IOH. FRID. CHRISTII
DE
NICOLAO MACHIAVELLO
LIBER TERTIVS
I V D I C I V M

Pietas & religio Mach. alio eius di-
cto probatur.

Conclusio
dictorum.



DE
NICOL. MACHIAVELLO
LIBER TERTIVS
SIVE
DE SECTA EIVS IVDICIVM

CAPVT PRIMVM

*Sectae politicorum denuo explicatae, & monstrata utri-
usque opinionis, ne cui fraudi sit, innocentia: Machiaueli
item sentiendi cum modestia libertas vindicata.*

Confido equidem, superioribus libris tantum me profecisse, ut spes sit, eum, qui priora legerit, iam aequiorem factum, aut absoluerè Machiauellum, aut opinari saltem posse, non talem esse virum, qualis vulgo putatur, nec adeo malos eius libros, quam fama est, esse. Haec igitur opinio in praesens ad eum finem argumentis nostris erit stabilienda, ut cognito, quae de eius secta falso tradantur, in id tandem inquiratur, quod vere possit de ea statui, atque affirmari. Monuimus autem supra, *libro I. cap. VI*, duo potissimum, in tradendis prudentiae civilis rationibus, dum inualescentibus agitur docentium studiis, extrema deprehendi: alterum eorum, qui solum regnum conducere rebus humanis, alterum istorum, qui solam libertatem putant. Illi rempublicam, quam sibi votis & animo fingunt, vnus arbitrio rectissime gubernari; hi contra, legibus & consilio multorum, regi ad salutem publicam optime posse, contendunt. Illi proprio vocabulo nondum vtuntur; hi

*Connexio
dicendo-
rum.*

*Iterum de
extremis
politicorum
studiis di-
ctum.*

Monar-

Inde error de Machiauello repetitus. Obiectum, extrema pariter vitiosa esse, & seditiosorum hominum: itaque mutari crimen illius, non eximi. Aliam esse cupiditatum in ciuitate, & aliam opinionum inter eruditos, rationem, monstratur: haec pro nudo vero studia, in sola contemplatione sita esse; ideo in quamcumque partem innoxia. Diffensionis inter politicos ratione, nullo tranquillitatis

Monarchomachi vulgo appellantur. Dixi, illorum coryphaeum a plerisque Machiauellum adhuc habitum fuisse; sed id adeo falsum esse, vt e contrario possit apparere, si quid eius secta ad extrema illa studia propenderet, habere plurima, e quibus Monarchomachum facile arguas; contra nusquam quidquam, e quo regni absoluti defensor appareat. Id vt iam tibi, quibus argumentis potest, certum praestemus & perspicuum, in hoc elaborabit ad extremum quantulacunque industria nostra. Verum, quid agimus, si Machiauellum, illa liberatum suspicione, quasi dominatum nimio & inconsulto studio suaserit, in alteram, nec fortassis minorem, adducimus, quasi popularem vbique fouerit licentiam? Longe faceffat primo eorum sententia, qui ex alterutra positionum, quas modo diximus, & quae tantum seditiosorum, dum rebus nouis inhiant, studia sunt, existere probabiles prudentum sectas posse, erederunt. Non ita Monarchomachos vocamus, vel contrariam his sectam, vt perditorum voces quasdam, qui eam plebunquam rempublicam, in qua viuunt, damnant, atque id agunt, vt tranquillam turbent, congestas intellegi velimus. Ea cupiditatum sunt & scelerum, non doctrinae studia. Si enim prudentum sectas, quantumlibet extremas, intellegas, sola & innoxia contemplatione, & necessaria quadam praeceptionum serie, procul cupiditate & odio, eas constitui putabis. Vnde fit, vt ne quidem dissensus & pugna eiusmodi sectarum, nisi si peruersa imperitorum studia admisceantur, aliquid habeat periculi: quando illud ipsum in quo dissentitur, sola contemplatione finiri; contra, in his, quae vitam afficiunt & mores, omnium esse consensus solet. Scilicet regni defensores & Monarchomachi in hoc solo distant, si quaeratur, votis expetenda respublica, tanquam optima, arbitrio regi debeat, an legibus: in eo contra conueniunt, praesentem rempublicam, quamcumque formula habeatur, siue bona sit eorum sensu, siue vitiosa, ferendam esse, & omni ope suscinendam potius, quam vnquam

publicae damno consistare posse. Machiauel- lus igitur sine noxa: nec praeceptionum illi genus quoddam olim vitio datum, sed falsitas. Secta illius palam, sed moderate habita. Prudens Machiauelli dictum,

vnquam turbendam mutandamque. Quare neutrum eorum in crimine potest haberi, praesertim in cogitatis ad eum modum ambiguis, quales esse solent prudentiae ciuilibus praeceptiones. Machiauellus igitur siue regni laudator audiat, siue Monarchomachus, in eo non habebunt rerum periti, quod vitio vertant; si tamen in alterutro non alienis, sed probis & conspirantibus inter se praeceptionibus vtatur. Naturae illa potius lex est, & necessitas, quam peccatum, vt quisque sibi suo sensu rerum apices peruideat, eoque captu separatim gaudeat: cum interea simplices illae rerum quotidianarum formae ab omnibus communi sensu aequaliter accipiantur. In illis igitur innoxia plerumque dissensio. Huic ideo conuenit, quod inimici Machiauelli non tam illud in eo desiderarunt, quod regnum arbitrarium praeceptis instruxerit, sed quod enormi praeceptorum falsitate seditiosa potius & pestilentia, quam vlli doctrinae consentanea, tradiderit. Id autem, quam falsum sit, supra vidimus: eoque magis falsum esse, iam inde patet, quod totam praeceptionum seriem illi minus recte ceperunt, eumque, qui contraria opinione potius moueretur, regni laudatorem nimium dixerunt. At putauisse illum, optimam esse rempublicam, quae non arbitrio vnus, sed legum vigore & multorum consilio sustineatur, adeoque Monarchomachum videri, e verbis eius paullo post excitandis intellegi poterit. Moderate vero ea sensisse, nec seditiosum, rerumque nouarum cupidum ea tradidisse, inde colligitur, quod ferendam nihilominus qualemcumque rempublicam praesentem, affirmauit. *Libro III. ad Liuium cap. VI. initio,* antequam cauenda in mutando reipublicae statu traderet, non omnino probare se extrema illa remedia, & malle rebus praesentibus vti, nec illo pretio meliora redimere, profiteretur, his potissimum dictis: *Et veramente quella sentenza di Cornelio Tacito è aurea, che dice, che gli buoni hanno ad honorare le cose passate, & obbidire alle presenti; & debbono desiderare i buoni Principi, & com-*

Et aliud eiusmodi apud Tacitum, adducitur. nunque si fiano fatti, tollerargli. Et veramente, chi fa altri-
menti, il più delle volte rovina se & la sua patria. Sententia
autem illa, quam Tacito laudat Machiauellus, habetur li-
bro III. historiarum cap. VIII. Eptii Marcelli dictum aduersus
Heluidium Priscum. *Se meminisse temporum, quibus natus sit,
quam ciuitatis formam patres auique instituerint: ulteriora mi-
rari, praesentia sequi: bonos imperatores voto expetere, quales-
cunque tolerare.* Malim verissimum dictum alio ex ore, quam
ex impudentissimo Marcelli excidisse: qui perditissimus dela-
tor, summa Romanorum eius aetatis lumina, Thraseam, Pri-
scum, alios oppressit. Ceterum, Machiauellus eo toto capi-
te, quo de coniurationibus scripsit, bonorum imperantium
utilitati seruit; Regnique non iniqui summa commoda valde
laudat, cum his, quae ex populari vita existunt, promiscue:
libro I. capite X. atque per omnes illos ad Liuium sermones,
non tam popularem statum, quam solam legum libertatem,
commendat; siue illa sub vno rege, siue sub optimatibus, seu
populi consensu, obtineatur: quanquam affirmet passim, ra-
rius eam & difficilius haberi in regno, quam in democratia:
e quibus rebus omnibus, sentire eum cum Monarchomachis,
sed moderate, constat.

CAPVT II.

*Monarchomachorum secta secundum praeceptiones sin-
gulas exposita: de natura Libertatis civilis, eiusque
usu atque commodis.*

Vera alterius sectae ratio exposita; Scilicet non tam in eo, quod vulgo putatur, distant Monar-
chomachi a regni cultoribus, ut illi solum popularem sta-
tum, hi solum vnus arbitrium admittant: verum in hoc po-
tius, ut illi vniam legum obseruantiam & libertatis aequitatem,
nemine legum sine consensu omnium mutandarum potente;
Ea non regno in vniversum aduersari. isti contra, siue vnus imperantis, siue paucorum, in leges alia-
que omnia arbitrium, & plenum subiectorum, ad eius volun-
tatem

tatem obsequium, tanquam certissimo ciuiliū societatum bo-
no, commendent. Attamen plerumque, vbi in consensu po-
puli respublica sita est, ibi legum vigor & aequa libertas du-
rat: contra, regnum quantumuis lene a principio constitutum,
ad merum arbitrium, infringendasque per ludibrium leges, fa-
cile inualefcit. Quanquam sint etiam, & maneant regna at-
que principatus, vt id vel exemplo Germaniae nostrae patere
arbitramur, in quibus neque leges ad salutem publicam vali-
das, neque singulorum libertatem, possis desiderare. Qualia,
ne legentibus obscuriora videantur, & quo facilius iudicare de
secta Machiaueli instituas, iuuabit, summa vtriusque doctrinae
capita, & in singulis pugnam, generatim percensuisse. Mo-
narchomachorum autem secta, moderatiorum puta, quales apud
antiquissimos Romanorum reipublicae prudentes plerique
fuerunt, (seditiosos enim homines & partium studiosos nihil
moror) his potissimum praeceptionibus finitur. Regi morta-
les, ipso humanae naturae ingenio, sua quemque voluntate,
suis consiliis, velle: ita sibi liberum quemque, ita pulcrum &
beatum videri: contra, aspernari, alieno arbitrio, alienis cu-
piditatibus subesse. Ideo facillime eos parere legibus omnium
consensu latis, in quibus sua quisque sponte sibi iura acquissi-
ma iussisse, & suam veluti voluntatem, sua vota in tabulas re-
lata fuisse, opinetur. Deinde, si vniuersis integrum non sit,
iubere leges, libenter tamen & secure singulos vt certo per-
petuoque iure a sapientibus constituto: quia ibi sapientia ma-
gis & ratio aeterna, nec facile mutabilis, imperare videatur,
quam hominis arbitrium, varium, incertum, cupiditatibus &
vitiis obnoxium. Timere sibi solere, & rebus suis, subiectos,
ab illa suprema fanciendi, quae velis, potestate: quod nihil
adeo sanctum, adeo tutum cuique videatur, vt hoc illa subuer-
tere, si in obliquum tendat, non possit. At leges e diuerso,
semel sancitas, facile defendi immutabiles: in his autem, quid
cuique timendum sit, expressum haberi, cetera tuta. Eam
tan-

Saepe enim, quamuis sub regni vocabulo, libertatem constare.

Monarchomachorum praeceptiones generatim enarrantur.

Libertatis amor unde sit,

Et quomodo legibus obtineri ea putetur.

Contra, premi arbitrio libertatem videri.

Libertatis, Romano- rum sensu, natura explicata :
 tandem sub legibus vitam esse, naturae conuenientem, & homine dignam: eam libertatem esse, vnicum humani generis bonum, in legum imperiis sitam, ita, vt turpe quod sit, fieri per leges nunquam possit, & nihil honesti non liceat. Eum vere liberum videri, qui non pendeat, nisi a sua voluntate: eum suae spontis, qui sibi imperet: at hos sibi imperare, qui leges aut suo sibi consensu iusserint, aut aequas certasque & constantes sua voluntate susceperint, aut a sapientibus constitutas, tanquam natura & ratione iubente, agnouerint. Libertatis autem plurima commoda esse. Patriam vix amare & defendere, qui suam non esse ex parte urbem, sed domini, putet; atque muros, templa, basilicas, fora tutetur, vt sua. Vix rebus praesentibus laetum, & adeo bonum ciuem esse, nisi qui sibi ipse liber, suaeque spontis videatur. Publica omnia in oppressis ciuitatibus, tanquam aliena, plerumque negligi. Re- publica probe constituta, ciuium animos tolli & metu libera- ri; ideo fieri ingentes & magna moliri. Si ex eo existat pu- blica salus, vt longe plurimi ciuium beati fortunatique vi- vant, id nulla re felicius, quam libertate iis concessa, obtine- ri. Legum igitur imperia certarum & constantium expeten- da esse; paruo discrimine, ad vnum earum cura redeat, an ad omnes. Certum tamen esse, pacis tempore leges & rem- publicam rectius custodiri a multis: in bello contra, ab vno duce. Quodsi, ne disconueniat ciuitatis ratio, vni interdum, etiam domi, summa rerum credenda sit; posse id commode magistratus nomine, qui legibus pareat, fieri, & saluam esse libertatem: sin placeat, vnum perpetuo rebus praeesse, illum tamen legibus publicis solutum non futurum, nec vniuerso po- pulo superiorem; propterea, quod regnum haberi, vt familia, & rerum priuatarum hereditas, non possit; nec vendatur vn- quam, sed fidei virorum fortium, voluntate populi, tradatur administrandum. Populum bonis legibus institutum, facile vti meliore in rebus maximis consilio, maiore in socios & sub- iectos

Summa illi- us sectae.
De regnis, quae in pa- trimonio sint, Monar- chomacho- rum senten- tia: item de commodis rei publicae popularis.

iectos fide, firmiore in ciues gratia; quam regnis ea continge- re admodum possint. Obiici seditiones reipublicae populari semper infestas, atque illam cunctationem & difficultatem in consiliis exsequendis: verum esse iam pridem compertum, ci- uitates inualescere seditionibus; regna eneruari. Etiam ipsam illo statu quietem salubrem non esse, sed quasi veterum tabi similem. Moram in rebus gerendis sapientiae & maturitati interdum, quam vitio, propiorem. Ad vltimum, quameun- que ciuitatis formam suis ac propriis laborare incommodis: eam interea optimam haberi, quae minimis vrgeatur. Hae fer- me Monarchomachorum sunt praeceptiones, in quibus haud pauca proba sunt, nostro iudicio, si vero intellectu accipian- tur, aut saltem ferenda: quaedam & nimia. In plerisque Ma- chiauellum tradidisse eadem, infra passim apparebit.

Vitia huic formae ob- iecta, esse leuiora.

CAPVT III.

Alterius etiam generis pro regno argumenta percensita.

ADuersus eos, iam regni defensores, qui plurimi sunt, at- que sane non minus, quam illi, graues, adhibita veri cu- ra, audiemus. Antiquissima aiunt esse, & naturae maxime conuenientia, regni iura. Ipsum fiderum ordinem, & rerum diuinarum contemplationem, docere, optimum esse, vt rerum in quacunque societate summa ad vnum redeat. Sic patresfa- milias antiquitus, suorum quisque, reges: sic mortales regi- a singulis, ab ipsis humani generis primordiis, consueuisse. Obsequium humano ingenio vtilissimum, probis & sapientibus non graue, reliquis etiam necessarium esse, & in vniuersum naturae conueniens, regi a meliore. Myriades hominum esse, qui sua sponte viuere nesciant, parere sciant. Leges per se aut inualidas, aut dissensu optimatum & factionibus vanas, aut variante fortuna duras ac praegraues, non posse verti in salu-

Pro regno adducuntur contrariae sectae rati- ones & ar- gumenta. Ab antiqui- tate & di- uinitate re- gnorum: ab ingenii humani ad parendum dispositione: ab incom- modis legu- darum:

*a libertatis
vocabulo
vano atque
inani:*

*a necessitate
rerum, cum
geri quid-
quam utili-
ter, nisi ad
vnum ratio
redeat, non
possit.
ab incom-
modis alte-
rius for-
mae.*

tem publicam, nisi summae potestatis arbitrium eas custodiat, tueatur, & earum interdum rigorem mitiget, interdum pro rerum euentu quaedam addat, quaedam detrahat. Libertatis vocabulum inane esse & vagum, neque quidquam minus vile ciuitati, quam vt ciues suae spontis sint, & inter se aequales: quae aequalitate nihil inueniri possit iniquius. Homines praeterea nunquam minus liberos videri, vel magis miseros oppressosque, quam in populari statu. Non constare rationem imperii, nisi si vni reddatur: neque curari, vt decet, publica, nisi sit aliquis vnus, qui ea sibi peculiaria & hereditaria putet. Ad regem igitur omnia deferri debere, eumque semper populo superiorem haberi. Ita fore, vt legibus suus vigor, ciuibus quies publica, opes domi & foris validae, regno dignitas constet. Contra, popularis imperii ciuitates facis plerumque factionibus iactari, nec vlllo magis morbo, quam virtute ciuium, laborare. Si quis enim fortitudine & sapientia maxime emineat, statim suspectum haberi, & aut tyrannum fieri, aut exulem. Plebem inconstantem esse, & vt vulgo dicitur, animal multorum capitum, inter quae nulla vnquam in optimis consiliis consensio. Inde certam sperari fidem non posse, nec constantem pro bene meritis gratiam. Ad extremum, rebus gerendis difficilem esse eam formam, & bello praesertim tardam & inualidam. Quaelia multa non vere minus quam speciose traduntur in iis libris, qui de prudentia ciuili hodie extant passim. Quare, adduxisse quaedam duntaxat minus vulgaria, hoc loco sufficiat.

CAPVT III.

*De magnitudine eius controuersiae, atque de Libertate
ciuili, veterum intellectu, vltimus actum.*

*Vtriusque
sententiae
magna au-
toritas:*

IN vtrorumque igitur argumentis inest aliquid veri. At quomodo causa nostro arbitrio sit diuidenda, dixisse hic, vt in argumento alieno, nihil attinet. Prudentiores rerumque periti, quodcumque haec legerint, suoapte acumine, quid ae-
quum

quum sit, peruidebunt. Longe maxima interim auctoritate & terra-
vtraque causae pars sustinetur. Dimidius terrarum orbis, qua rum paene
orientem spectat solem, in ea olim fuit opinione, vt arbitrio orbis in has
regum subesse, vtilissimum putaret: hodie latius etiam ea re-
sectas diui-
rum facies obtinet. Occidens olim paene totus legibus gau-
sus est.
sus, & popularis, non facile tulit imperantium arbitria, donec
pulsata Romano orbe libertas, in Germania nostra, & ad se-
ptentrionem, in hyperboreis maxime populis, constitit. Inde Romano-
nemo ferme Romanorum est, dum aliqua reipublicae me-
moriam, etiam sub imperatoribus, fuerat, qui non eodem mo-
do senserit de libertate, de legum vigore, de republica ac de
bono publico, quo nos Monarchomachorum descripsimus se-
ctam. Eo igitur pertinent Romani scriptores potiores prope-
omnes, ne Tacito quidem excepto, quem aliqui Principatus
non tam scriptorem putant, quam magistrum. Multa enim
ille etiam pro laude reipublicae liberae, & in detestationem e-
ius, quae sub imperatoribus fuerat, formae. Hanc autem
Romanorum sectam speciatim amplexus est Machiauellus, cu-
ius sententiae in omnibus ferme capitibus cum illis pulcre
consentiunt. Ante tamen quam ad rem ipsam, excutiendis
illius dictis, accedamus, de duabus antiquorum quaestionibus,
quae opinio apud rerum humanarum prudentes olim obtinue-
rit, & quae hodie tenenda sit iis, qui eorum libros legere cum
fructu instituunt, quantum diutina obseruatione liquere nobis
eius potuit, doctrinae causa paucis explicabimus: alteram
quidem de libertate: alteram, de vno legitimo tenendi in ci-
uitatem imperii modo. Libertas hodie plerumque in eo sita
putatur, vt facere, quo animus ferat, possis, & cupiditatibus
obsequi liceat; & eam quidem naturalem esse, qua Reges vti so-
los conueniat: at ciuilem, quia omnis ciuium societas obsequio
constet, praeter publicam, quae sit populi a tributo exteris
soluendo, siue a foedere inaequali, immunitas, priuatorum,
nisi inanis vocabuli vsurpatio placeat, paene nullam esse videri.
P 2

*Libertas vel
naturalis vel
ciuilis: &
haec vel pu-
blica vel
priuata.*

Ea

*De utroque
genere vete-
rum Roma-
norum secta
copiosius
explicata.*

*Reipublicae
& regni,
eorum sen-
su, differen-
tia.*

*Diversus a
regno prin-
cipatus.*

*Aliud nobis
regni voca-
bulo signifi-
cari, quam
Romanis.*

*Reipublicae
proprium &
unicum ar-
gumentum,
ab illis leges
fuisse habi-
tas:
inde liber-
tatem quo-
modo acce-
perint.
Modus li-
bertatis, un-
de?*

Ea de re longe aliter sensisse veteres, Romanos praesertim, multis argumentis potest probari. Vt adeo merito suo prudentioribus molesti essent illi, qui in vocabulo discrepantes & falsi, Romanis saepius, tanquam ficto quodam & inani libertatis bono gaudentibus, illuserunt. Legibus publicis obsequi, illis libertas vocabatur, & contra, arbitrio humano, nullisque legibus adstricto subesse, seruitus. Qui secundum leges imperarent, magistratus illis habiti: qui sua voluntate, reges Romanis & domini. Vbi legum imperia, ibi respublica esse videbatur: contra, vbi arbitria superiorum plena vigeant potestate, ibi non publica res, sed regnum, tanquam priuatae regis opes, & magna quaedam familia, haberi censebatur. Veluti apud Persas Regnum ita Romanis descriptum fuit, quasi in eo, vt paterfamilias, vnus rex & dominus, ceteri omnes serui essent. Longe aliter de principatu sentiebant, quocum durare libertatem & rempublicam posse crederent. Etiam illi hodie pleraque Europae regna, immo tantum non omnia, in quibus salva est libertas, saluae leges, regna nequaquam appellarent, sed principatus. Scilicet nostri maiores antiquissimorum temporum colorem obtinuerunt, & auctoritate magis quam violentia regendi, non dominos sibi, tanquam seruis, sed nomine, dignitate, splendore reges, reapse patres, & vere consules, a consulendo, sortiti sunt. Reipublicae igitur veluti anima & forma, sine qua consistere non posset, habitus est legum vigor: atque illius effectum, libertas. Quae doctrina ex his potissimum principiis extitit. Si in agendo, nisi a tua voluntate, non pendeas, eam libertatem, quam natura dederit, esse: sin totum ab aliena voluntate pendere necesse sit, eam seruitutem esse. Sapientem quidem, vt cogi nequeat aliter agere, quam e sua voluntate, ita neque seruum fieri, aut quocumque fortunae euentu libertati suae aliquid detrahere. At sapientes paucissimos, & longe maximam mortalium partem eorum esse, qui, metu repraesentato, voluntati suae quasi vincula iniici patiantur:

tur: inde dominicam potestatem ortam, & fortiorum in inuailidos regna, ita vt subiectis modo laxiora in res plurimas voluntatis propriae arbitria, modo adstrictiora, modo nulla relinquerentur. Quibus e rebus libertas ciuilis existeret, in vniuersum non ita vaga, vt naturalis, verum ad illos modos, interdum plenior, interdum minus plena. Reliquam meliorem hominum turbam sapientibus mixtam, in societates humano generi vtilissimas conuissae, non eo quidem consilio, vt latrocinii naturalis metus, alio supremae potestatis metu pelleretur, aut societatis bona, alio naturae bono, quae libertas est, emerentur: sed vt societas communicatis tantum bonis & auxiliis staret, & aduersus vim externam consensione inualesceret. Illa omnium consensio, vt certa permaneret atque ad salutem communem valida, non alia re obtineri potuisse, quam legibus consensu sancitis: nec sperari legum duratio & vigor, nisi magistratu legum custode constituto. Hoc autem ideo saluberrimum visum esse, quia mortales aut suam sequi cupiunt voluntatem, aut sapientiorum consilia. Ita libenter obtemperare ciues, si aut suo consensu iussas leges, tanquam propriam voluntatem, propositas agnoscant, aut aliena sapientia probatas, quasi diuinas obseruent. Eam libertatem esse, vt nemo cogatur, nisi quae velit & optet, recipere: & sapientiae munus haberi, quae semel placuerint, ea deinde consensu velle atque defendere. Aequis autem legibus id effici, vt honestissima quaeque sint liberrima, atque vt virtus suo pretio aestimetur, & quae legibus aduersa, ea turpia habeantur: contra, hominis arbitrium plerumque variatum, modo ad optima procliue videri, modo ad deterrima, eandemque naturam ciuivm animis induere, vt hoc exemplo vitia facile placere possint, & vicissim virtutes ridiculo esse. Quibus rebus, vel iniqua violentia, vel adulatione intercedente, contingat, adeo suppressi posse ciuivm libertatem, vt honestum esse, cum periculo sit coniunctum & paene vetitum; ea autem existant

*Origo liber-
norum ciui-
tatum;*

*unde ciui-
um securi-
tas existat
& beatitas,*

*& virtutis
reique prac-
clare geren-
dae satis
aequa sci-
cultas.
Secus esse
sub regno.*

praemia atque irritamenta malorum facinorum, ut homines, nisi scelesti & perditii, esse honorati, potentes, opulenti & beati, non possint: quae bene agendi difficultas deterrima omnium seruitus censi merito debeat. Constare igitur libertatem non alia magis re, quam aequis legibus: legum autem custodia, vni credatur, an pluribus, non multum interesse, quanquam multorum consilia, quam vnus, utiliora putentur. Ad hunc ferme modum illi de libertate ciuili.

Sententiae illius summa.

CAPVT V.

De modis tenendi regnum recentior, & vetus Romanorum sententia, iuxta proponitur.

De legitimo regnandi modo, recentior nostrorum hominum sententia;
 ¶ Am si quaeratur de legitimo tenendi in ciuitate supremi imperii modo, veteres praeter vnum illud genus, de quo mox dicemus, non admittunt. At nostri homines, alia regna teneri, pro populi voluntate, certis conditionibus, alia pleno, hereditario atque dominico iure, quae regna in patrimonio, siue patrimonialia dicuntur, affirmant. In his potissimum ea censent, quae armis & belli iure quaesita habeantur, tanquam si bellum & violentia quaerendi sit titulus, & non potius eius iuris, quod in mouendo bello armis praetextitur, mera executio; & tanquam, si non eadem, quae summo saepius iure licita sunt, humanitatis ratione vetentur. Sunt, qui adeo naturae sensum exuerunt, ut omnia regna debere ita haberi contenderent; quo magis merum in omnibus regis vnus arbitrium valeat. Agnoscis notari Thomam Hobbium, qui nullam magis philosophiae partem afflixit commentis suis, quam hanc de imperio doctrinam. Ille, quocumque modo existat ciuitas, semper aut coetum, aut vnum hominem, iure a tota ciuitate in se collato, pleno rerum omnium in ciues omnes arbitrio uti posse, contendit: idque, ait, debere ita putari, siue consensu, siue vi bellica, populus coierit. Quae opiniones adeo ab omnium sensu, opinor, remotae sunt, ut non facile futuri

praesertim iniqua Hobbii doctrina;

futuri sint, quibus ea Hobbii tradita in vniuersum placeant. At regna tamen bello quaesita plerique hodie ita haberi consentiunt, uti imperium ciuile ab Hobbio definitum est: quam nos speciatim sententiam secundum doctrinam veterum excutiemus. Victas bello ciuitates, aiunt, eodem, quo seruitutes, pleni domini iure, recipi solere. Quem enim quis iure belli victum plane opprimere potuisset, ei vitam hac lege donari, ut victoris arbitrio viuat: namque ut omnia extrema, ita etiam vel durissimam seruitutem, victo iuste intentari. Quare, eadem ratio cum sit, quae illas ciuitates constituat, quam quae seruitutem, sequi, eandem legem esse ciuilis imperii, quae herilis potestatis iure gentium habeatur. Verum multis illi modis ab illa antiquorum secta diuersi sunt. Quod si eadem habendae essent humanitatis, quae feruntur summi atque vagi illius mortalium, in statu prope belluino, iuris praeceptiones; falsum tamen esse primo, vnam eandemque seruitutis legem atque faciem esse: neque enim omnino omnes vltima violentia & extremo vitae periculo sub iugum mittuntur. Multi, cum repugnare adhuc possent, cum in dubio victoria esset, animo magis quam viribus superati, in leges victoris eas, quae sibi probarentur, transferunt: in quos non licuerit sane eadem statuisse, quae in plane deuictos. Quot igitur in victoria gradus esse possunt, tot in seruitute modi. Demus autem, per vim vltimam victas ciuitates omnes constitutas esse: non tamen eadem potest esse ratio tenendae ciuitatis, quae dominantium in seruos esse putatur. Aliud ius singulis imponi potest: aliud multorum hominum societati. Quid si viceris ciuitatem, & vniuersos ciues deuictos, quod tamen fieri vix queat, ita habeas in tua potestate, ut trucidare nullo negotio possis, ac fateantur: aut ut singulos priuato iure obtinere eos velis, necesse est, aut tanquam societatem & rem publicam. Si illud placeat, compedibus captos vincies, abduces

reliquo- rumque, de populis bello victis;

atque alia veterum opinio.

Vnam non esse familiae & regni rationem,

magnam hominum societatem in plena seruitute haberi non possi.

*Sed pactis
& legibus
vinciri.*

*Unde admi-
nistratio
magis exi-
stat, quam
plenum do-
minium:*

*publicum
igitur pri-
uato semper
anteponen-
dum:
rationem a-
liter insti-
tutam, du-
rare non
posse.*

duces, ergastulis coercebis, & iam illa non erit ciuitas, sed familia tua: sin hoc potius: quando sentis, myriades familia- rum familiae lege haberi non posse; iam societatem quandam ciuium, iam ciuitatem, quae non nisi consensu certisque pactis & legibus vnita contineri possit, agnoscis, & simul fateris, te illi consensio & legibus vindicem & custodem futurum, id est, Regem. Quo facto, secundum vulgatam veterum opinionem, nihil aliud postulatur, quam ciuitatis administratio, non dominium: ignorato ferme olim eo regni genere, quod vel absolutum vocatur, vel patrimoniale. At enim perpetuum bellum, putant, esse tibi cum ciuitate gerendum, aut pactis transigendum: quae talia esse vnquam posse, iure quidem, veteres non crediderunt, vt rem victoris priuatam potius, quam victae ciuitatis publicam, respiciant; cum nemo possit vnus, etiam si velit, aperto & declarato dominico animo, eiusmodi hominum conflugem, tanquam rem suam, tanquam familiam, tenere. Habiturum igitur vt rem, quae extra dominium sit, administratorio videlicet nomine, quo vno haberi rem publicam fas esset. Inde fieri, vt ea tibi, quae ciuitati conducant, priuatis tuis opibus semper sint anteponenda; atque vt ea regna legitima haberi non debeant, in quibus rationes ad vnus imperantis utilitates omnes conferuntur. Ceterum, si humani ingenii gnarus sis, fore, vt tute fatearis, tori alicui populo alias leges dare duraturas, nisi quas ipse populus velit, ne quidem per naturam licere. Inuitus, aut tanquam captus tenendus erit, & ad eum modum eneruabitur, vt nihil ferme commodi tibi inde obueniat; aut multitudine & opibus indies decrescet, atque delabatur: aut in libertatem se multo cum tuo damno vindicabit. Ea quem fugiant, illum siue vincere, siue tenere victos, nescire.

CAPVT VI.

*Machiaulli dicta, quae ad illam causam, sigillatim
censa, in transitu mores Germanici laudati, & Noriber-
gensum in censu agendo institutum.*

AD eum modum explicata eorum scriptorum, quibuscum consentire Machiauellum diximus, secta; doctrinam eius per partes ad illam normam explorabimus. Libris suis omnibus Machiauellus, iis praesertim, quos ad Liuium de republica commentatus est, instituta Romanorum & rem Romanam maximopere passim commendat: quod vt ii faciant, qui regnum praeserunt, tantum abest, vt etiam Hobbius Anarchiam identidem appellare soleat rempublicam Romanorum. In principio illorum sermonum, *Libro I. cap. II*, de optima republica disputat Machiauellus, atque e tribus generibus mixtam, qualis Lacedaemoniorum fuerit, & deinde, tribunis plebi constitutis, Romanorum, praesert reliquis: quare verisimile est, plus eum tribuere in hac reipublicae forma populo, quam principi, & perfectiorem putasse democratiam, quam, quae in principio rerum extitisse tradidit, regna. Longe aliter de his omnibus sentiunt, quibus regnum placuit. Porro, vbi de seditionibus Romanorum loquitur ille, *libro I. cap. II*, plebis causam probat, non patriciorum: plebem nimirum in id elaborasse, ne opprimeretur; nobiles contra, vt plebeios opprimerent: quorum illud secundum naturam, hoc naturae contrarium existimari debeat. Illas etiam seditiones, quibus Roma iactata fuerit, in causa fuisse, vt maximopere reipublica inualesceret, & perfectior indies, bonis legibus inuentis, fieret, *cap. III*. Libertatis curam melius credi populo, quam optimatibus, disputat, *cap. V*. Hereditatem summi imperii sapienter damnat, vt *cap. VIII*, aitque, *Debbe bene in tanto esser prudente & virtuoso, che quella autorità, che si ha presa, non lasciasci hereditaria ad vn' altro.* Deinde capite X, quod elegantissimum, legique ad hanc causam iudicandam omnino dignum

*Machia-
velli de sin-
gulis capi-
tibus eius
doctrinae
sententia.
Romanos
ille laudat
subinde:
optimam
republicam
Romanae si-
mitem fini-
git:*

*plebis causam probat,
non optimatum,
apud Romanos.*

*Turbis illis creuisse Romanam, ait:
libertatem.
que a populo recte custodiri.
Damnata praeterea Iulium Ca-*

gnum est, violenta imperia, eorumque incommoda, execratione persequitur: vituperat Iulium Caesarem vt patriae oppressorem: laudat, vt etiam alias, Brutum, tanquam libertatis vindicem: quae omnia animum scribentis, illam in partem propensum, valde arguunt. Sub Tiberio Imperatore olim ex eo, si quis Cassium & Brutum laudasset, non vt Monarchomachus solum, sed tanquam perduellis, maiestatis sustinebat iudicium. Qualia tum, & leuiora etiam, crudelissimis quaestionibus patebant. Exemplo Cremutii Cordi, rerum Romanarum scriptoris, ea parte nobilitata fuit Tiberii inclementia. Accusatum enim Cordum fuisse, ideo, quod laudato Bruto, *Cassium Romanorum vltimum* in historiis dixisset, & libris aboleri iussis, antequam damnaretur, vitam abstinentia finiuisse, Tacitus testis est, *Annali IIII. cap. XXXVIII.* Atque eadem tradunt Suetonius, *Tib. 61.* & Seneca vterque, alii. Capite XVI. Machiauellus ea laudat libertatis commoda, quae nullo pacto possunt agnosci a fautoribus regni absoluti: vt, virtutum certa praemia, securitatem ciuium, reliqua, quae supra *cap. II.* enumerauimus. *Il viuere libero propone honori & premii, mediante alcune honeste & determinate cagioni, & fuori di quelle non premia ne honora alcuno. - - - Oltre a questo, quella commune utilità, che del viuere libero si trabe, non è da alcuno, mentre che ella si possiede, conosciuta: la quale è, di potere liberamente godere le cose sue senza alcuno sospetto, non dubitare dell' honore delle donne, di quelle figliuoli, non temere di se.* Quae commoda praesertim ex obseruantia legum existere putat, vti constans veterum opinio fuerat, atque eodem capite ad finem, quando vno Principe faccia questo, & che il popolo vegga, che per accidente nessuno ei ne rompa tale leggi, commincerà in breue tempo a viuere sicuro & contento: etiam infra *cap. XXXIII.* vna legge, laquale è il neruo & la vita del viuere libero. Constituendae reipublicae popularis rationes tradit *cap. XXVIII. XXIII.* maiorem erga ciues bene meritos populi gra-

Laudat

Machiauellus commoda libertatis,

eiusque summam in legibus sitam esse tradit:

gratiam videri, quam principis, quibus dictis regni fautoribus *populi gratiam & fidem anteponebat principatus bonis.* palmarium aduersus liberas ciuitates argumentum extorquere instituit. Multa deinde de constituenda republica populari: praesertim *cap. XXXVIII.* Quo & illud pertinet, quod *exipat cap. LV,* eoque egregio, legique dignissimo. Laudat ibi fidem & probitatem veterum Romanorum, atque, non aliam facile gentem suo tempore illius bonitatis fuisse capacem, praeterquam Germanos. Iuuabit praeclarum hominis peregrini, *De bonitate & integritate Germanorum egregium eius testimonium.* pro moribus maiorum nostrorum, testimonium, quod & ipsum spirat animum libertatis studiosissimum, totum hic exhibere. Postquam negauerat Italos veteribus familia facturos, ad mentionem Germaniae diuertit, his verbis. *Vede si bene nella provincia della Magna questa bontà & questa religione ancora in quei Popoli essere grande, laquale fa, che molte Republiche viuono libere, & in modo offeruono le loro leggi, che nessuno de fuori ne di dentro ardisce occuparle. Et che sia vero, che in loro regni buona parte di quella antica bontà, io ne voglio dare vn essemplio simile a questo detto di sopra, del Senato & della Plebe Romana. (intellegit decimas praedae, ad soluendum id, quod Camillus Veientium victor Apollini vouerat, ex fide cuiusuis in publicum conferendas.) Vvano quelle Republiche, quando occorre loro bisogno, d'hauere a spendere alcuna quantità di danari per conto publico, che quei magistrati, o consigli, che ne hanno autorità, ponghino à tutti gli habitanti della città vno per cento, o dua, di quello che ciascuno ha di valesente. Et fatta tale deliberatione, secondo l'ordine della terra, si rapresenta ciascuno dinanzi a gli effecutori di tale imposta, & preso prima il giuramento, di pagare la conueniente somma, getta in vna cassa, a cio deputata, che secondo la coscienza sua gli pare douer pagare. Del qual pagamento non e testimonio alcuno, se non quello che paga. Onde si può conietturare quanta bontà & quanta religione sia ancora in quelli huomini. Et debbesi stimare che ciascun paghi la vera somma: perche quando ella non si pagasse,*

se, non gitterebbe l'imposizione quella quantità, che loro designassero secondo le antiche, che fussino usitate riscuotersi: & non gittando, si conoscerrebbe la fraude: & conoscendosi, harebbon preso altro modo, che questo. La quale bontà è tanto più d'ammirare in questi tempi, quanto ella è più rara: anzi si vede essere rimasa sola in quella prouincia. Egregia vero laus ab homine extero, & eo, qui institutorum & morum ciuiliū diligens esset atque elegans spectator. Saepius autem ille res Germanorum prae patriis laudare solitus erat. Quod valde probat tributi a ciuibus accipiendi ex fide inuentum, ad Noribergensium praeclaram ciuitatem, inprimis, opinor, pertinet: qui illum conferendi in publicum modum appellant, *Die Losung* / & praecipuae dignitatis magistratum, quaestores ad id constitutos, *Die Losunger*. Aliqua facultatum pars iureiurando promissa, pro censu cuiusque pecunia aestimato, aerario inseritur, sed clauculum: ne scilicet modus diuitiarum aut inopiae cuiusque, vtrumque autem sedulo occultare solent ciues, facile reliquis pateat. Hoc fidei & integritatis argumentum longe maximum idcirco putat Machiauellus, quod ciues fraudando nondum effecissent, vt magistratus, iam tandem iuriurando parum fidens, aliam tributi exigendi legem inueniret. Nobilem illum adeo & memoratu dignum morem, a Vuagenfilio, in elegante copiosaque eius de hac vrbe commentatione, nusquam descriptum extare, dolendum est. Iam si, vti oportet, ad elicienda Machiaueli ex his omnibus pro re publica populari studia, reuertamus, vltimis libri primi capitibus, causam cum plane omnem pro populo aduersus regni commoda iudicare, deprehendimus. Componit capitibus LVIII, statum popularem cum Principatu, atque vtrumque bonum esse posse, si aequis legibus nitatur: (vt adeo bonum publicum, extra rationes arbitrii, in solis legibus positum habeat) tamen, si vtriusque reipublicae forma, quantumuis bona, in comparationem veniat, populi imperium semper melius videri,

Saepissime delectatus est Machiauellus institutis Germanorum celebrandis. Illud eius dictum ad Noribergenses in primis pertinere.

Praefert vbiq̄ue Machiauellus regno populare imperium:

videri, quam principis: in illo maiorem inesse constantiam, sapientiam, gratiam: certius in magistratibus creandis iudicium: efficaciores ad rem imperii augendam vires. La moltitudine e più sanza & più costante che vn Principe: ea inscriptio comprobata est, deinde haec eius inter alia dicta: Vn popolo, che commanda, & sia bene ordinato, sarà stabile, prudente & grato, non altrimenti, che vn Principe, etiandio stimato sauo. - - Quanto alla Prudenza & alla stabilità, dico, come vn popolo è più prudente, più stabile, & di miglior giudicio che vn Principe: Et non senza cagione s'assomiglia la voce d'vn popolo a quella di Dio, perche si vede vna opinione vniuersale fare effetti marauigliosi ne pronostichi suoi, tal che pare, che per occulta virtù e preuegga il suo male & il suo bene. - - Vedesi ancora, nelle sue elezioni a i Magistrati fare di lunga migliore elezione, che vno Principe. - - Vedesi oltra di questo le città, doue i Popoli sono Principi, fare in breuissimo tempo augumenti eccessiui, & molto maggiori, che quelle, che sempre sono stato sotto vn Principe. Postremo, quod caput rei est, ea inde existere ait, quod meliora essent populi imperia, quam vnus potestas. Il che non può nascere da altro, se non, che sono migliori governi quelli de' popoli, che quelli de' Principi. Quibus omnibus adeo certum de eius secta iudicium constare potest, vt, cui hac nostra iam opera exploratum satis de quaestione, quam proposueramus, non fuerit, ei de nulla re posse liquere, putandum sit.

CAPVT VII.

Alia id genus ex aliis eius libris in hanc rem congesta.

Adquiescere igitur dictis possumus, atque omittere reliqua. Aliqua etiam eius praeceptionum, quales eae libris de re publica II. addita e lib. & III. habentur, disquisitionem: ne eadem, quod aiunt, chor. da III. de rep.

